1690.

ECCLESIA GALLICANA VEXATA.

THE NEWBERRY
LIBRARY

AVERTISSEMENT.

IL auroit été à ſouhaiter que celuy qui a dreſſé cet Ecrit, l'eût retouché luy-même ; & qu'il y eût ajoûté pluſieurs evenemens conſiderables qui ſont arrivez depuis peu de tems. Mais la divine Providence en ayant diſposé autrement ; celuy entre les mains de qui il eſt tombé, n'a pas crû que cela dût empêcher de le rendre public ; tant pour faire connoître le grand nombre de perſonnes que l'on a chaſſé & exilé de France, que pour porter Mˢ les Evêques à repreſenter à Sa Majeſté comme on a ſurpris ſa religion par

des fauſſes impreſſions qu'on luy a données contre des perſonnes qui ſont gloire d'eſtre ſes plus fidelles ſujets, & qui ont un attachement inviolable à l'Egliſe & à l'Etat.

GALLICANA ECCLESIA DIVEXATA.

COLONIÆ,
Typis HENRICI LEBRO,
ſub ſigno Spheræ.

M. DC. XC.

Case
F
39
.326

47-2035

EPISTOLA ERUDITISSIMI VIRI DOMINI N. N.

CIRCA

ECCLESIÆ GALLICANÆ QUERELAS.

AD nos pervenerunt planctus tui, fortiſſime Eccleſiæ Chriſti, ac ejus Miniſtrorum vindex; ac ubi tot mala audivimus quibus Eccleſia Gallicana ſub Chriſtianiſſimo potentiſſimoque Rege premitur, nos tecum pariter ingemuimus. Ecquod ferreum pectus, ſi quid pietatis ei ſit reliquum, non moveatur, cùm diſcit in Gallia, quæ nobiliſſima eſt Eccleſiæ portio, adeo labefactata Eccleſiarum jura, & adeò invaluiſſe errores & humanæ ſuperbiæ commenta contra Chriſti Gratiam, & puriores Chriſtianæ vitæ regulas, ut fugæ, exilii, carceris, extremúmque capitis ſupplicium, ſub ficti-

tiis perduellionis titulis, ibi ſubeant omnes qui pro ſuarum Eccleſiarum juribus, vel pro victricibus Chriſti auxiliis, moxumque regulis immutabilibus contra Auſicorum auſus, & contra deteſtandos errores, publicaque ſcandala firmiores ſteterunt.

At noſtras lacrymas, quas nemine exigente hæc mala proliciunt, tu non quæris; ſed quid de tuis lacrymis ac gemitibus, aut veriùs de malis unde illi profluunt, ipſi ſentiamus. Jam ergo, ut tuo zelo in nullis deſim, à te quæſitis reſponſurus ſum, de tuis querelis ex æquo judicaturus.

Vera eſſe quæ narras, pro certo tenemus: nam tuæ fidei, quæ ipſa ſatis eſſet, plurima alia iis de rebus accedunt teſtimonia, quæ omni exceptione majora ſunt: ſed & totius Galliæ rumor, actáque publica omnibus, etiam exteris, quàm iſta vera ſint ac certa renunciant.

Mala autem, quibus Eccleſiæ Gallicanæ pax turbatur, in duobus iſtis concludis: juſtitiam videlicet, ſimul ac veritatem tam atrociter impeti; ut non modò in Eccleſiarum jura involet ſæculi poteſtas, inconcuſſámque de Chriſti Gratia & de moribus Chriſtianis doctrinam compri-

mat : ſed & animadvertat in omnes, qui vel iſta jura, vel iſta dogmata propugnant.

Ut iſta clariùs diſtinguas; imprimis deſcribis graves ærumnas, quibus premuntur qui, Aulicis & maximè Jeſuitis non aſſentiunt, aut cum illis non ſentiunt. Ubi exponis ex una parte Virgines Deo ſacras variè exagitatas, & partim ejectas, partim in vinculis & in carceris ſquallore jacentes : ex altera parte plures Preſbyteros, cùm Sæculares, tum Regulares vel fugâ lapſos, vel miſſos in exilium, vel in carcerem truſos.

Ad hoc, ut jam præfatus ſum, ingemuimus : & obſtupuimus in Gallia violentas manus tam liberè injici in unctos Domini, & in virgines ipſi deſponſatas. Nuſquam enim tot perſonas Deo ſacras exilio & carcere mulctatas legimus ſub Principibus Catholicis, multo minùs ſub Chriſtianiſſimis Regibus.

Legiſſe quidem me memini, quòd dum Ebroinus eſſet Magiſter Palatii, dira in aliquos Epiſcopos, alióſque Eccleſiaſticos viros, ſub ementitis titulis, & quaſi in læzæ-Majeſtatis reos, in Gallia patrata ſint : quos tamen Eccleſia ut Martyres

veneratur. Crudelis iſte Regem deludens, Sanctum Ennemundum Eccleſiæ Lugdunenſis Antiſtitem, per calumniam, apud Clotharium læzæ Majeſtatis reum inſimulavit: & milites, qui eum caperent, vinctumque ad Regem ducerent, miſit; à quibus, ne eum legitimè purgatum Rex liberaret, perfidè in ipſo itinere trucidatus eſt, ut Gualterus veſter in ſuis tabulis Chronologicis refert.

Paulò poſt, ſub Theodorico, iſtius Ebroini operâ, celebrata eſt in Gallia Synodus, quam tyrannicam omnes vocant: & hujus Synodi auctoritate, ſimul ac Principis gratiâ fretus hic Major-domus multos Antiſtites & præ cæteris Sanctum Lambertum Trajectenſem Epiſcopatu privavit, alios mulctavit exilio & Sanctum Leodegarium Auguſtodunenſem, poſt famis & carceris ærumnas, poſt oculorum evulſionem, & alia tormenta, capite truncari juſſit. Nec fratri ejus Guarino pepercit, qui ejus mandato ad palum alligatus lapidibus obrutus eſt: & ita Martirii lauream cum cæteris obtinuit, quos inter Martyres Romanum Martyrologium recenſet.

Crudeliora quidem ſunt hæc: at quæ

modò in Galliis aguntur, ſi Sacerdotum profugorum, exulum, & in carcere incluſorum numerum ſpectemus, majora utcumque fatemur, nec omnino abſimilia. Nam inſimulantur etiamnum læzæ-Majeſtatis, & tanquam rebelles plectuntur in Gallia, qui veritatem aut Eccleſiæ jura defendunt: inde martyrii, ſi firmi ſtent, gloriam pariter conſecuturi.

Sed nec à præaddućta tyrannica Synodo valdè diſpar viſus eſt ille Cleri Gallicani Conventus, qui Archiepiſcopi Pariſienſis, alterius Ebroini, ſuaſu convocatus eſt, ut non ſolùm contra Epiſcopos, Aletenſem videlicet & Apamienſem, licet vitâ functos, ſed in ipſum Romanum Pontificem audacior inſurgeret, qui auſibus ejus ſeſe tanquam murum pro domo Iſraël opponebat.

Itaque non injuriâ, ſed multo jure cauſaris nuſquam hactenus ſub Principe Chriſtianiſſimo, in Galliis adeo afflictos fuiſſe Dei Myſtas, Paſtores, Theologos, Monachos, ac Sanctimoniales. Etſi enim nondum tam dira paſſa ſit Eccleſia Gallicana, quàm ſub Ebroïno: in pluribus patitur, nec levia ſanè; &, niſi Deus adſit, ipſos adhuc graviora manent.

Ne tamen præceps aliquid pronunciaſſe videar; & iſta paſſos Chriſti Confeſſoribus leviùs accenſuiſſe: hujuſmodi malorum cauſas attentiùs inſpiciamus. Tres ipſe adducis: nempè jus Regaliorum, quod volunt ad omnes Cathedrales Eccleſias, nullâ exceptâ, extendi: jus nominandi Superiores aut Abbatiſſas in Monaſteriis, etiam Virginum Urbaniſtarum, & aliarum, quæ liberam hactenus habuêre facultatem Superiores eligendi: poſtremò firma de gratuita Dei prædeſtinatione, & efficacibus ejus auxiliis, & tutior de moribus doctrina, & in corruptos mores invehendi Chriſtiana licentia.

Sagaciter ſanè ad tria hæc capita motus omnes, quibus Eccleſia Gallicana concutitur, gemens reducis, & ex tribus hiſce fontibus prudenter deducis omnes moleſtias, quibus Sacerdotes Dei & ſacræ Virgines in Gallia premuntur, ac penè opprimuntur. His unis de cauſis tot excitatæ procellæ, tot exorti turbines, tot enata ſunt mala, quibus fere jam tota Eccleſia Gallicana obruitur. Nec enim, ut intelligimus, aliam hujuſmodi malorum ſcaturiginem comminiſci fas eſt: Niſi

breviùs adulatorum quorumdam impietatem, quâ ſacra prophanis commiſcent, quis dixerit; ac Jeſuitarum in ſuos adverſarios furorem.

Quæ enim alia proferri poteſt cauſa tot vinculorum, tot carcerum, tot exiliorum, tot fugarum? Norunt omnes rerum ſcii, non in Gallia modo, ſed & in Italia, & in aliis exteris regionibus, quod Sacerdotes ac Theologi & Deo ſacræ Virgines tot ærumnis in Gallia vexentur, vel ex eo quod juri Regaliorum, aut juri nominationum innatas Eccleſiarum ſuarum libertates firmiter opponant: vel quod Gratiæ, quæ inſuperabiliter operatur in nobis velle & perficere, neceſſitatem profiteantur: vel quod morum corruptionem & laxitates non ferant. Si quæ cauſa alia ſit; qui novit, edicat.

Scimus quidem, ut & ipſe exponis, quod qui pœnis iſtis afficiuntur, à nonnullis dicantur rebelles ac ſeditioſi: hoc ſemper in more fuit adverſariis & Aulæ devotis. At dum inquirimus unde rebellionis aut ſeditionis illi damnentur, nihil aliud regeritur, aut regeri poteſt, niſi quod Aulæ conſiliis non acquieſcant, nec Eccleſiæ jura dimittant ad Aulæ placi-

tum : aut quod in Jeſuitarum ſententias non eant, nec veram Chriſti Gratiam ejurent, ut in Aula & apud Jeſuitas gratiam inveniant.

Jam ergo hoc unum expendendum eſt: an falsò hæc jura dicantur, ut inde iniquè ea defendi demonſtretur; & an erronea, damnataque ſit hujuſmodi Theologorum doctrina, quam fide certam tenent, ut tanquam malè in rebus fidei ſentientes & ſubvertentes plebem corripiantur.

Iſta diſcutere non labor eſt ex æquo judicantibus, & non ad Aulæ gratiam. Jus enim Regaliorum ad omnes Cathedrales Eccleſias extendi, prorſus iniquum eſſe jam judicatum eſt ab œcumenica Synodo Lugdunenſi, quæ juris iſtius extenſionem, ſpeciali Decreto, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, prohibuit. Juxta quam Concilii iſtius Generalis definitionem, omnes juris cùm Pontificii, tum civilis interpretes, etiam Galli ſacrilegam hanc fore Regaliorum extenſionem reſpondent: ut ſatis demonſtratum eſt iis in libris, qui ea de re modò conſcripti ſunt, & quos exſcribere non mea mens eſt, utpotè qui jam præ omnium manibus ſint.

Quantùm ad jus electionis in præfatis

Monaſteriis: conſtat ipſum de jure communi illis competere; & ſpecialibus adhuc privilegiis eſſe conceſſum juxta ipſorum ſtatuta, quæ ſanctæ Sedis diplomatibus, ac Regiæ Majeſtatis aſſenſu firmata ſunt. Illa ergo temerare nefas eſt, utpotè contra jus omne, contra datam fidem, & contra debitam Pontificiæ autoritati obſervantiam.

Jam quid de illa ſententia dicam, quæ hujuſmodi Gratiæ, quæ ita ſuadet ut perſuadeat, neceſſitatem tuetur; & gratuitum, hoc eſt ab omni meritorum præſcientiâ liberum prædeſtinationis decretum agnoſcit ac reveretur? Iſta fides non tantum nihil falſi aut erroris habet; ſed vera & Catholica eſt; quippe quam, ut in confeſſo eſt apud omnes qui ſincerè loquuntur, Auguſtinus contra hæreticos propugnavit, & firmiſſimè tenendam tradidit iis omnibus, qui volunt non ſolùm vocari, ſed eſſe Chriſtiani Catholici, ut ipſe loquitur.

Nec quis imperitus aut fallax nobis obtrudat doctrinam hanc in quinque damnatis propoſitionibus eſſe proſcriptam. Abſit à Sancta Sede nuperâ cenſurâ id eſſe damnatum, quod tot Sanctæ Sedis oraculis per tot ſæcula confirmatum eſt. Verùm & ipſa

Sancta Sedes inconcuſſa Auguſtini dogmata, poſt novitias iſtas cenſuras declaravit: & Romæ Auguſtinianis Eremitis ſingulari Decreto noviſſimè. an. videlicet 1677. cautum eſt, ut abſolutæ prædeſtinationis propoſitum, & efficacium auxiliorum neceſſitas ab omnibus teneantur ac propugnētur.

At obloquetur forte quis, quod ſæpèſati Theologi damnatas quinque Propoſitiones non damnent, ſed damnatos in eis ſenſus ſemper mente retineant. Quis iſto obloquutore maledicentior, qui poſt toties & quidem publicè, datas ſuæ fidei circa hæc profeſſiones ac explicationes, poſt ſubſcriptas etiam ab eis quinque Propoſitionum in omni eo ſenſu in quo damnatæ ſunt, cenſuras; auſit tanquam hæreticos traducere Theologos illos, qui Chriſtianâ & Catholicâ profeſſione cenſentur, nec ullo malæ fidei argumento poſſunt in falſi ſuſpicionem venire? Quæ tuta fides, ſi malevolis aliorum quantumvis ſinceram fidei confeſſionem fictis ſuſpicionibus proſcindere fas eſt?

Itaque jam indubitatum manet apud nos, ſicut & apud te, nihil iniquius eſſe, quam velut falſam aut erroneam oppugnare, vel comprimere certam Eccleſiæ de

Gratia

Gratia fidem; & Theologos, illam profitentes, veluti pravè ſentientes, aut quaſi rebelles de regno ejicere, vel in exilium aut in carcerem mittere. Porro conſtat nihil iniquius eſſe, quam Eccleſiarum ac Monaſteriorum jura extinguere, ut Regaliorum extenſioni ac regiæ nominationi ſubjiciantur.

Et ex his conſentaneum eſt propter veritatem ac juſtitiam illos omnes pati, qui non aliâ ratione vexantur, niſi quia pro veritate & juſtitia certaverint, ſuarum Eccleſiarum jura, contra Regaliorum aut regiæ nominationis extenſionem, fortiter defendendo, vel ſuam & Eccleſiæ fidem de Chriſti Gratia moribuſque Chriſtianis indefeſſè propugnando.

Nec eos movere debet rebellionis ſeu ſeditionis umbra, quâ error & iniquitas martyrii laudem pro veritate ac juſtitia certantibus non ſemel tentarunt præripere: ſed nec eos moveat, ſi fortè, Deum magis quam homines reveriti, veritatis ac juſtitiæ zelo liberiùs nonnulla ſcripſerint aut protulerint in eos, quorum conſiliis, ſacerdotes, ſacræque Virgines tam dura ſuſtinent. Iterum inſto, ne animo dejiciantur, ſi quando tanquam petulantes ac ſeditioſi,

& non fidei titulo, ad carceres, vel ad extrema etiam ſupplicia rapiantur,

Nam, ut veſter Vencenſis Epiſcopus ſapientiſſimè obſervat, vix ullus martyr alio, quam læzæ-Majeſtatis aut perduellionis titulo, capite minutus eſt, aut ſuſpendio, alióve ſupplicio enecatus. Qui enim error & iniquitas obtegerent ſua ſcelera, ſuas cædes, niſi hâc fictæ perduellionis larvâ, quâ incautos ſtolidoſvè decipiunt?

Id exemplis demonſtratum ſi velis: non ne Chriſtus, caput Martyrum, cum iniquis ac ſeditioſis reputatus & cruci affixus eſt? Principes quidem Sacerdotum eo quòd Dei Filium ſe dixiſſet, eum eſſe reum mortis inter ſe pronunciarunt: at aliis omnino titulis, ut morti adjudicaretur, à Præſide petierunt, videlicet, quaſi qui commoveret populum, & prohiberet dare tributa Cæſari.

Facilè quoque crediderim Phariſæos Herodi regi detuliſſe, quòd Chriſtus irridens ejus fraudes ac inſidias, eum vocaſſet vulpem; & de eo dixiſſet: *ite dicite vulpi illi*, &c. ut ſic eum de petulantia in Regem arguerent.

Illud unum Chriſti exemplum ſatis

fuit ejusdiſcipulis, qui cùm nō eſſe ſe ſupra ſuum magiſtrum crederent ibant gaudentes quoniam digni habiti eſſent pro nomine Jesu contumeliam pati, ſub quacunque ſeditionis aut rebellionis vel cujuſvis alterius criminis ſpecie. Singulorum hiſtorias hîc attexere non ejus eſt qui epiſtolam, non librum, conſcribit. Duas aut tres breviores ſeligam, quæ magis è re noſtra ſint; & eas paucis complectar.

Inſignia ſunt Sancti Babilæ, Antiocheni Epiſcopi, vincula, in quæ conjectus eſt, & in quibus dira mortemque ſuſtinuit, quaſi qui Imperatorem de unius pueri nece liberius ac petulantius arguiſſet. Attamen hanc ſancti Martyris libertatem S. Chryſoſtomus pluribus commendat: & ex ea deducit, quod ſi diſſimulare tutum non eſt, dum homini ab homine injuria infertur; quo ſupplicio dignus erit, qui ſiluerit, nec curaverit intuitus divinis legibus injuriam inferri.

Ne quis tamen alter Semei inde detrahendum Regibus putet aut maledicendum, contra monita Sapientis: effrænem, ubi de juſtitia aut veritate non agitur, obloquendi Principibus libidinem Sanctus ille Doctor ibidem comprimit, ſubjungens eam non libertatem eſſe nec fiduciam;

ſed linguæ intemperantiam, mentis temeritatem, contumaciam, dementiam, atque id genus quodlibet vitium.

Duo adhuc alia præclara Chriſtianæ fortitudinis exempla, nobis civitas Antiochena proponit, nempe Sanctum Juventium, & Sanctum Maximum. Duo iſti ſtrenui milites, ſcutiferi ac ſatellites Juliani Imperatoris, in quodam convivio mala ſui ſæculi vehementiùs inter ſe deplorabant, dicentes longè feliciora fuiſſe ſuperiora tempora, tæderéque ipſos vivere, ſacris legibus ita conculcatis, pietate ſic violatâ: adeo ut, juxta Theodoretum, uſi ſint his excellentium Babylonæ puerorum verbis: *Tradidiſti nos Regi iniquo, apoſtatæ, & impuriſſimo ſuper omnes.*

Hoc unus è convivis & commilitonibus, proditor impius & adulator, detulit Regi, qui milites iſtos accerſit, & quid dixerint ſciſcitatur. At illi arrepta occaſione, & laudabili fervore ſuccenſi inquiunt: *O Imperator! nos in vera pietate educati, ſervientes optimis legibus à Conſtantino & filiis ejus latis, conqueſti ſumus, videntes cuncta repleri abominationibus, & funeſtis ſacris cibos, potuſque pollui. Hæc domi deploravimus, & querimur etiamnum apud*

te : neque quicquam aliud in tuo nos offendit imperio.

His auditis, manſuetiſſimus ille juxta ac ſapientiſſimus, ut ipſius ſimiles perhibebant, exuit mox perſonam benignitatis, & Fiſco addictis omnium horum militum bonis, nudos eos in carcerem conjici, & poſt carceris tenebras interfici juſſit, non quidem, ut obſervant Theodoretus & Sanctus Chryſoſtomus, cauſâ fidei, ſed petulantiæ in Regem prætextu, ne Martyrii nomen & honores conſequerentur; & ut eos Martyrii gloriâ ſimul ac vitâ privaret. Iſta ex Theodoreto & Chryſoſtomo, quos ſi lubet, conſulas. Et de his Sanctis Martyribus intelligendum puto Epiſcopum Vencenſem, ubi refert quod *deux des Gardes de Julien furent battus jusqu'à la mort, pour avoir témoigné de la compaſſion de l'état où ſe trouvoit la Religion; & qu'on ne trouvoit que cela à redire à ſon Gouvernement.* Nec tamen falſi petulantiæ prætextus, quibus Julianus iis militibus Martyrii honores detrahere voluit, ullatenus obſtitêre, quin eis Eccleſia ipſos decoret; ipſorum feſtum diem agens Antiochiæ 25. Januarii, juxta Romanum Martyrologium.

Plura alia Chriſtianæ libertatis in hunc Imperatorem facinora Theodoretus refert, quæ demitto, ut fortiſſimum Abbatem hîc tibi paucis exhibeam, fide magis quàm nomine, Maximum.

Is cùm catholicè ſentiret, & cujuſdam Archiepiſcopi impietates execraretur; illius conſiliis de crimine læzæ-Majeſtatis inſimulatus eſt, & in judicium vocatus, quaſi qui imperium prodere voluiſſet, & in Imperatorem dira fuiſſet locutus. Ante Præſides Conſtantinopoli, & aliis in locis, non ſemel ſtetit, ut de his cauſam diceret: ſed nihil auditus, poſt exilia & carceres, tandem Præfecto urbis puniendus traditur.

Et primo diſtentis nervis adeo crudeliter cæſus eſt venerabilis ille ſenex, annos natus 75. ut nullum membrum à plagis ſanum relictum fuerit. Deinde lingua huic invictiſſimo Catholicæ veritatis defenſori contra Monothelitarum blaſphemias præciſa eſt, & amputata manus dextera. Demum ludibriis ac dicteriis expoſitus; & per forum circunductus, nudus in caſtello concluditur; ubi cùm per triennium elanguiſſet, obitus die divinitùs præcognito, migravit ad Dominum die 13. Auguſti an. 657.

Iſta ſatis ſint, ut intelligant omnes Sacerdotibus Sacriſque Virginibus, & aliis, fugæ, exilii & carceris ærumnas pro veritate ac juſtitia, ex Chriſti amore, perferentibus, laudem nomenque Martirii, non eo minùs deberi, quòd perduellionis aut petulantiæ inſimulentur, ac ſeditioſi in aula à nonnullis dicantur.

Hoc unum tamen ipſos monitos velim; ne magis videri Martyres, quàm eſſe cupiant: & ne ſuam, magis quàm Chriſti gloriam in pœnis ambiant, humili prece Deum aſſiduè exorent, ne quid humani patiantur: & ut ad omnia probra, ipſamque ſuſpendii mortem piè obſtinati, nihil niſi Deum quærant, non curantes quid de ipſis ſentiant homines.

Quod autem tu plurimos ſtupere dicis, nimirùm quomodò hæreticos ſimul & Catholicos Rex tam acriter inſectetur; ne quidem nos mirari ſubit. Ubi enim varii & oppoſiti errores fuerunt exorti, non raro contigit ut Imperator plus æquo favens uni ex illis erroribus, Catholicos Sacerdotes utrumque damnantes errorem, duriùs inſequeretur. Conſtantius Apollinoriſtas oppoſita de Chriſto ſentientes juſtè premebat, dum ſimul Catholicos recta de verbo

Dei profitentes diriſſimè cruciaret : inde laudandus, hinc æternum damnandus.

Verum, ut innuis, omni crimine illud unum apud veſtros Aulicos gravius eſt : hæc mala, quibus Eccleſia Gallicana premitur, perſecutionis nomine denotare : ſuos enim in Eccleſiam auſus, tot Sacerdotum, Sacrarum Virginum, ac piarum mulierum fugas, exilia & carceres, perſecutionis titulo non ferunt inſigniri. Sic & inter hiſtoriæ Scriptores quæſtio vertitur, an cruciatus, exſpoliationes, cædeſque quas Chriſtiani ſub Juliano paſſi ſunt, inter Eccleſiæ perſecutiones cenſendæ ſint.

Et quidem à Rege Chriſtianiſſimo, multis titulis Magno, procul ſit nota hæc perſecutionis in Eccleſiam. Ejus nomini Aulici melius conſulent, ſi ipſi meliora conſulant. Meâ autem, & Socratis ſententiâ, perſecutionis genus eſt homines, qui piè quietéque vivunt, ulla ratione conturbare.

Unum adhuc, ut intelligo, valde te premit, quod tot injuriarum autores non ſolùm non pudeat : ſed Catholicam de Gratia doctrinam, quam falſo novitatum nomine dehoneſtant, ita à Rege com-

preſſam glorientur, ut ipſam nullibi conſiſtere ille patiatur: ac Theologis, per omnia Catholicis, ſummo probro ducant, quod fugâ ſibi conſuluerint. Sibi enim quaſi de victoria adblandiuntur, & rem totam concluſiſſe ſe putant iſto dilemmate: *Hi Theologi profugi aut rei ſunt, aut inſaniunt. Fugit quidem impius, inquiunt, nemine perſequente; at nemo fugit ſanus, ſi ſit innocuus; & indubiè inſanit, qui ſine crimine fugit.* Hæc, ut opinaris, & alia ſcommata in Catholicæ veritatis defenſores, inimici Gratiæ Chriſti conjiciunt; & ſic incautis illudunt.

Hac exprobratione nihil magis inſulſum, & his argutiis nihil magis impium eſt. Nam, ut olim dicebat Sanctus Athanaſius, ſi fugere ponendum eſt in vitio; multo magis homines perſequi. Qui fugit, à malis hominibus fugit, & ut mala vitet. Malus autem ille eſt, qui alterum perſequitur, ut malum inferat. Nonne turpius eſt inferre mala, quàm vitare? Itaque erubeſcant, non qui à malis fugiunt, ſed qui mali ſunt; & qui tot malorum, ipſiuſque fugæ autores exiſtunt. Non fugientibus, ſed perſequentibus ac ſævientibus hæc fuga probro vertenda eſt.

Ipſi, ſi non inſaniunt, ſaltem quæ ſunt Chriſti non ſapiunt; ſed ipſum Chriſtum, & quicquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſuis argutiis impiè proſcindunt; dum concludunt reos aut inſanos eos eſſe qui fugiunt; & neminem, ſi ſapit, innoxium fugere.

An Chriſtum fugiſſe & latuiſſe, ne ab Herode & à Judæis comprehenderetur, ipſi negabunt. Id ſi negent, quod in Scripturis expreſſum eſt, apertè hæretici ſunt. An Chriſtum fugientem inſaniiſſe, aut reum fuiſſe dicent? Id ſi ſentiant aut proferant, blaſphemi ſunt & impii. Impium eſt ergo dicere quòd nemo ſanus fugit inſons: & ad hanc impietatem proximè accedit, qui ex Theologorum fuga concludit eos reos eſſe vel inſanos.

Inſuper quid præſcribit lex Evangelica? *Si vos*, inquit Chriſtus, *perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Nunquid inſanis aut reis hæc lex poſita eſt? An rei aut inſani fuerunt Apoſtoli? An reus aut inſanus Petrus; cùm Angelum è carcere ipſum educentem ſecutus eſt? An reus aut inſanus Paulus, cùm per murum in ſporta demiſſus eſt? An reus aut inſanus Athanaſius, cùm in ſepulchro paterno delituit? An inſani, aut rei innumeri Chriſti Con-

feſſores, qui in perſecutione fugâ ſibi con-ſuluerunt? Et ut ad prius Teſtamentum retrogradiamur: an rei aut inſani Prophetæ? an reus, aut inſanus Jeremias?

Nemo ergo, niſi impius, dicat quòd inſa it qui fugit inſons: & nemo, niſi impiè ſentiens, concludat Theologos, qui pro Gratiæ veritate fugiunt, reos eſſe vel inſanos. Conticeſcant ergo inimici Gratiæ Chriſti, nec de hujuſmodi Theologorum fuga, quaſi partâ victoriâ applaudant. Non latet, nec fugit veritas; latentibus ac fugientibus ipſius aſſertoribus ac diſcipulis. Ad tuos gemitus redeo.

Aliud injuſtitiæ malum eſt, in quod tuus zelus maximè inardeſcit: nempe vis illa, quæ Catholicis Apameenſibus infertur, ut cum excommunicatis ſacra peragant. Et quidem cùm Præfectum Oxitanum ſtipatum militibus, & Archiepiſcopi Tholoſani decretis munitum inſpicio, Catholicos Diœceſis Apameenſis minis, exſpoliationibus, exiliis & carceribus adigentem, ut cum illis communicent quibus Eccleſia ſacris interdixit, & quos ſatanæ tradidit: videre mihi videor illas bonorum deprædationes, illa exilia, illos cruciatus, illas ſtrages, quibus quidã Eccleſiæ Antiochenæ ac Conſtantinopolitanæ Archiepiſcopi Clerum populumq;

Catholicum olim compellebant, ut cum ex-communicatis pacem & communionem haberent. Nec juvat iſta fuſiùs recenſere, quæ in Socrate & aliis legere poteſt quiſquis amat legere æternis fletibus digna.

Hæc indicaſſe ſatis ſit, ut Eccleſiæ Apameenſis & aliarum mala cum his componantur; non quo minora fiant, ſed ut mala cumulata malis pariter defleamus; Eccleſiæ renovato cumulatoque dolore infauſtis hiſce temporibus, quibus ejus mala renovata, cumulatáque ſunt. Iſta lugentibus ſtrictim dicta ſufficiant, quæ dolorem magis augent quàm ſolantur; nec oppreſſos ſublevant.

Satis ſit te non injuſtè ingemuiſſe de Chriſti Confeſſorum ærumnis, quarum quo minus juſta cauſa, eo magis lugenda eſt. Acerbi quidem ſunt animi tui planctus at multo acerbiora mala ſunt, quæ illos movent.

Unum te & illos rogo, ut in orationibus ac gemitibus veſtris, mei apud Deum memores ſitis: & ut uſque ad mortem certetis pro juſtitia, certi quòd Deus pro vobis expugnabit inimicos veſtros, nec tam veſtros quàm ſuos; ſed ideo veſtros, quia ſuos. Hæc ſperat, hæc precatur, qui eſt

Tuæ Dominationis,

Addictiſſimus famulus

LISTE

LISTE

De ceux qui ſont en priſon, en exil ou en fuite pour la juſtice & pour la verité.

Les Eccleſiaſtiques mis en priſon pour la juſtice & pour la verité par lettre de cachet & ſans forme de juſtice.

LE R. P. Carlat, Chanoine & Prieur Clauſtral de Pamiers, mis en priſon au Château de Pequé, où il eſt mort ſans qu'on lui ait voulu donner les derniers Sacremens.

Le R. P. Aubarede Chanoine & Grand-Vicaire de Pamiers, mis en priſon au Château de Caen.

Le R. P. Rech, Chanoine & Grand-Vicaire de Pamiers, mis en priſon au Château de Dax.

Le P. Coudol, Chanoine de Pamiers, expoſé au marché public, puis mis en priſon, par l'Intendant.

Le P. Rouſſel Chanoine de Pamiers mis en priſon.

Un Prêtre Novice de Pamiers en priſon.

Cinq Curez de Pamiers mis en priſon.

Trois Vicaires de Pamiers mis en priſon.

Deux Clercs & un jeune homme du Dioceſe de Pamiers mis en priſon.

M. Berenghier Curé de Dun, au Dioceſe de Pamiers, mis en priſon.

M. le Noir, Chanoine & Theologal de Seez, mis en priſon à Paris & à Roüen, d'où ayant été delivré on l'a mis à la Baſtille, d'où on l'a transporté dans un Château, pour y finir ſa vie.

M. Alorri Prétre de S. Gervais de Paris, en priſon au Château S Malo où il eſt mort.

M. Valricher Prêtre des SS. Innocens de Paris, arrêté par lettre de cachet & mis en priſon à la Baſtille : où il eſt mort.

M. Bordin Chanoine de Seez, arrêté par lettre de cachet & mis en priſon à la Baſtille d'où il a été transferé dans un Château.

M. le Curé d'Aluin en priſon à la Baſtille, par lettre de cachet, puis exilé.

M. le Vicaire d'Aluin en priſon à la Baſtille, par lettre de cachet.

M. de Crouy Prêtre en priſon à la Baſtille.

M. le Lorrain Prêtre, en priſon à Rouen.

M. le Noble Prêtre, en priſon à la Baſtille.

Le P. Gerberon Soûprieur de l'Abbaie de Corbie, pris à ce qu'on dit & mis à la Baſtille : s'il n'a pas pris la fuite.

Les Religieuſes de Montfort, au Dioceſe du Mans, miſes en priſon.

Un Prêtre du méme Dioceſe, pris pour le méme ſujet, & mis en priſon.

Le P. Dubreuïl Prêtre de l'Oratoire, Curé de S. Croix de Roüen, en priſon.

Un des Prêtres de la méme Egliſe, mis en priſon à la Baſtille.

M. Chartan, Chanoine de S. Thomas du Louvre à Paris, en priſon à la Baſtille.

Un Prêtre de l'Hôtel-Dieu de S. Denis en France, en priſon à la Baſtille où il eſt mort

Un Regent du College de Bauvais, mis en priſon, on ne ſçait où.

Les Eccleſiaſtiques exilez par lettre de cachet & bannis pour la verité & la juſtice.

LE P. Canto Chanoine de Pamiers, exilé.

Le P. Gabaret Chanoine de Pamiers exilé.

M. Gratacap, Superieur du Seminaire de Sabar, exilé.

Un Prebendier de Pamiers, exilé à Semur en Bourgogne.

M. du Ferrier, Chanoine & Theologal d'Alby, exilé à Tonnere en Bourgogne: enſuite mis à la Baſtille où il eſt mort.

M. Caſenove, Docteur en Theologie, exilé à Mortagne au Perche.

M. Ragot, Chanoine & Archidiacre d'Alet, d'où il a été exilé à Brive, puis à Aſpect, puis à Morlais en baſſe Bretagne.

M. Maſcaras Chanoine de l'Egliſe Collegiale de Pamiers, exilé à Brive.

M. Dijon Promoteur d'Alet, exilé.

M. Chardon, Chanoine & Docteur en Theologie, exilé à Rion.

M. Bourigaut, Prêtre d'Angers, exilé à Semur en Bourgogne, puis à Thiers en Auvergne.

M. Metayer, Docteur de Sorbonne exilé au Havre, puis à Vire en Normandie.

M. du Vaucel Theologal d'Alet exilé à S. Porcin.

M. Faydeau, Theologal de Bauvais, & Docteur de Sorbonne, exilé aux Sevenes.

Le R. P. de ſainte Marthe, Superieur Général de l'Oratoire, exilé.

Le P. Villecour, Prêtre de l'Oratoire, Grand-Vicaire de Pezenas, exilé.

Le P. Janet, Prêtte de l'Oratoire exilé.

Le P. Lamy Prêtre de l'Oratoire, exilé.

Le P. Martin Prêtre de l'Oratoire exilé.

Le P. Queſnel Prêtre de l'Oratoire exilé.

M. le Correur, Preſtre d'Amiens, exilé.

Le P. de Beuvron, Abbé de Cluny, exilé.

Le P. Prieur de Cluny, exilé à Mõtdidier.

M. le Curé d'Alençon, exilé à Gargeau, où il eſt mort.

M. Lancelot, R. de S. Cyran, exilé à Quimperlé en Baſſe-Bretagne où il eſt mort.

M. Chamillar, & pluſieurs autres Docteurs de Sorbonne exilez.

Douze Auguſtins reformez, exilez en divers lieux.

Madame de Mondonville, femme tres-pieuſe & Fondatrice des filles de l'Enfance de Jesus, exilée à Coutance, puis enfermée dans la maiſon des Hôpitalieres.

La fille qui ſervoit Madame de Mondonville, exilée & enfermée dans une maiſon à Carentan.

Trois Curez de Caen, exilez pour avoir préché que ſans amour pour Dieu un pecheur ne pouvoit étre reconcilié avec lui.

M. Ville-paſſant Archidiacre de Thouloue, & Neveu de M. l'Evéque de Rieux, exilé.

M. Juliant, Chanoine de Toulouſe exilé.

Les Eccleſiaſtiques chaßez ou fugitifs ; pour la verité & pour la juſtice.

M. Caulet, frere de fû M. l'Évéque de Pamiers, chaſſé du Dioceſe de Pamiers avec la Marquiſe de Mirepoix ſa ſœur

Le P. Rianne Superieur des Chanoines Reguliers de S. Martin de Troie, chaſſé.

Le P. le Large, Chanoine Regulier, Docteur en Theologie, & Maître de l'Hôtel-Dieu de Bauvais, chaſſé.

M. l'Abbé de la Vergne, chaſſé.

Le P. Prieur de l'Abbaïe de S. Denys en France, depoſé & chaſſé.

Le P. Prieur de l'Abbaïe de Corbie, depoſé & chaſſé.

Le P. de Boulogne, Prieur de l'Abbaïe de Compiegne, depoſé & chaſſé.

Le P. Bougiez, Prieur de l'Abbaïe de S. Lucien de Bauvais, depoſé & chaſſé.

Le P. Prieur des Dominicains de Pamiers, chaſſé du Dioceſe.

Les Religieuſes reformées de S. Ceſaire établies à Arles par la fû Reine : chaſſées.

Les Religieuſes de Charronne, chaſſées.

La Mere Montgaillar Carmelite, chaſſée.

La Mere Conſtance, Religieuſe de la Viſitation chaſſée.

Les Clercs de M. Galard, établis à la Fléche & à Angers chaſſez.

Le P. Cerle, Prechantre & Vicaire General de Pamiers, en fuite, & depuis condamné à mort, & executé en effigie.

Pluſieurs Curez du Dioceſe de Pamiers, en fuite.

Prés de deux cens filles Religieuſes de l'Enfance chaſſées de leurs maiſons & reduites à d'extrémes miſeres, pour s'eſtre adreſſées au Pape dans l'oppreſſion qu'elles ſouffroient par les calomnies des Jeſuites.

Deux filles de l'Enfance, qui eſtoient allées à Coutance pour voir leur Superieure, arreſtées par l'Intendant, conduites à Caen, où on leur ôta la liberté de ſe confeſſer au Curé, & d'où on les fit conduire à Paris, où on les mit en arreſt chez un Huiſſier, ſans leur donner de quoy ſubſiſter, & dont enfin une fut exilée par lettre de cachet à Clermont en Auvergne, & l'autre renvoyée à Toulouſe.

Mademoiſelle de Chaulnes, une des filles de l'Enfance, arreſtée à Toulouze & conduite à la maiſon de Ville, par le Capitaine du Guet accompagné de plu-

ſieurs ſoldats ou Archers, pour eſtre re-
leguée & enfermée dans une maiſon à
plus de 60. lieües de Toulouſe.

Mademoiſelle Gaultier, auſſi fille de l'En-
fance, cherchée par le méme Capitaine du
Guet & ſes Archers pour être traitée com-
me Mademoiſelle de Chaulnes ſa compa-
gne : mais on ne la trouva pas.

Il y a encore principalement en Lan-
guedoc & en Provence pluſieurs autres
perſonnes qui ſont en priſon, en exil &
en fuite pour la verité & pour la juſti-
ce : dont on pourra parler ailleurs.